

Vtilitas
audire
pro neceſ-
ſitate ha-
beretur.

raritas eſt Sacerdotum Catholicorum, vt in An-
glia, id licet: nam in Cap. Conſuluit, de celebra-
tione Miſſarum, excipitur neceſſitas; qua meri-
to iudicatur raritas Sacerdotum. Et Gloſſa ibi-
dem ait neceſſitatem eſſe vtilitatem non ſolum
ſacrificium facientis, ſed etiam perſonarum rem
diuinam audientium. Abbas item ibi docet ne-
ceſſitatem boni viri arbitrio iudicandam: &
quando aliquid abſolute & ſimpliciter, & non
certo ac definite Canones, vel leges, & iura con-
ſtituunt, definitio arbitrio boni viri relinquatur.
L. 1. D. de iure delib. & Cap. de cauſis, de officio
iudicis delegati. Sic ille poſt Nauarrum Lib. 3.
Conſil. Titulo de Celebrat. Miſſarum, Conſilio 9. vbi
ſpecialiter de Anglia loquitur.

Diu Indijs
recepta
circa pro-
uincias
alias do-
ctrina ſac-
currit.

276 Quis autem non videat totum hoc re-
ſpectu Indiarum pariter locum habere? Nam in
Anglia Sacerdotes Catholici non ex iuſtitia, ſed
ex charitate curam animarum ſuſcipiunt, & vti-
litas magna pro neceſſitate, quam Ius exigit, re-
putatur. Quod autem boni viri pariter interce-
dat arbitrium circa neceſſitatis gradum, ſimiliter
eſt compertum. Vnde P. Fagundez ſupra, caſum
hunc vt diſtinctum ab alio de Parochis proponit
& cum Anglia, Hybernia, & Germania Indias in
in illius reſolutione componit: ſic autem ſcribit:
Secundus caſus eſt, cum quis præſt. duabus Eccleſiis vni-
tis, duobus ſacrificijs indigentibus, & non eſt alius ſa-
cerdos, qui aliam poſſit dicere: ſimiliter in locis vbi ra-
ri ſunt admodum Sacerdotes, vt in Anglia, Hyber-
nia, & nonnullis partibus Germaniæ, & in Indijs tam
Orientalibus, quam Occidentalibus, quilibet Sacerdos
bis poterit requirente neceſſitate celebrare in die, non
pluries, quia Ius in Cap. Conſuluit, de celebratio-
ne Miſſarum, ſolum bis in die concedit in neceſſitate ce-
lebrare ſeyuis. Sic ille: qui manifeſte caſum haben-
tis duas Eccleſias à ſequenti diſtinguit, quod &
exempla confirmant. Et eandem ſententiam in
Prouincijs hæreticorum admittit Cardinalis Lu-
go Diſput. 20. num. 46. cum Patre Laynam, &
alijs: quam & tenet P. Martinon Tomo 4. Diſpu-
tat. 4. num. 14. P. Amicus Tomo 7. Diſput. 27.
num. 14. Diana Parte 11. Tract. 4. Reſolut. 34. &
alij. Iuxta hæc ergo ad id, quod præſata Pauli
Tertij conceſſio continet, non erat priuilegium
neceſſarium, & ita ad tollendos tantum ſcrupu-
los videtur attributum. Pro quo & facit quod
P. Fagundez habet ſupra num. 12. ſic locutus:
Quamuis enim in omnibus ſerè Orbis partibus multi
iam ſint Sacerdotes: tamen non raro etiam inter Ca-
tholicos, aut aliquis ex prænumeratis caſibus poterit eue-
nire, aut alij, in quibus iudicio prudentis neceſſe ſit
tunc bis ſacrificare, maxime in pagis ac oppidis ru-
ſticanis, in quibus non ita facile eſt inuenire hu-
iſmodi Sacerdotes, qui commodè poſſint ſpiritu-
alibus proximorum ſubuenire: nam in populolis vrbis
ac oppidis cultioribus raro id contingere poterit.
Hæc ille. Iuxta quod cum numerolus eſt po-
pulus, & omnes nequeunt ad eandem Miſſam
concurrere, idem licebit, vt tenent Doctores,
quos adducit & ſequitur Diana ſupra. Qui &
benè addit cum illis plures duabus rariffimè per-
mittendas.

P. Fagun-
dez.

Eiusdem
pro caſu
preſenti
accommo-
da ſenten-
tia.

Quid ex
priuilegio
amplius
liceat,

277 Ex quibus apparet plus ex Iure, vt illud
Doctores intelligunt, quam per dictum licere
priuilegium: illud liquidem pro caſu tantum
conceditur in eodem contento, quando ſcilicet

numeroſi ſunt populi, & vnus plurium curam ge-
rit; cum tamen, vt vidimus, Doctores amplio-
rem à Iure facultatem conceſſam affirmant: qua-
doquidem boni viri arbitrio diſpenſatio referuat-
tur, & in pagis non ita numeroſis, vt eſſe ſolent,
& oppidis ruſticanis id licere teſtantur. Vnde Re-
ligioſi, qui priuilegio nixi Sacerdotem deſtinant,
qui in duobus prædiſ Miſſam celebret, quia
commodè nequeunt Indi, aut Athiopes ad v-
num eorum conuenire, videntur fanè à Pontifi-
cis mente penitus deuiare. Tum quia non ſunt
illi numeroſi populi: tum etiam quia non eſt
raritas Sacerdotum: duo enim mitti non ægre
poſſunt. Quod & tunc accidit, cum Religioſus
Miſſa in Eccleſia vrbis dicta, ad prædium dictu-
rus aliam contendit: nullo enim modo poſſunt
priuilegij verba diſpenſationibus iſtis adæquari.
Benè verum eſt priuilegium, cum fauorabile ſit,
poſſe extendi, iuxta ſæpius dicta: debet tamen
conceſſionis forma ſeruari, vt verborum proprie-
tas teneatur. Poterit itaque Sacerdos duas Miſ-
ſas facere, etiamſi populi non aded numeroſi
ſint, & etiamſi Sacerdotum raritas non ſit ma-
gna, ſed aliquis, iudicio prudentis: quia to-
tum id priuilegij verba patiuntur. Illud autem,
de quo loquimur, extra omnem verborum ſi-
gnificationem eſt, & tale vt non ſolum in Indijs,
& remotiſſimis partibus habere locum poſſit,
ſed in media Europa, vbi Religioſorum prædia
paſſim inueniuntur. Si ergo plures Miſſæ dici tunc
poſſunt, non ex virtute priuilegij id licebit, ſed
quia neceſſitas occurrit, prudentis arbitrio talis
iudicata: quæ ſi deſit, ex nullo capite licebit tran-
gredi Eccleſiæ cautionem. Vide P. Dicatillum
Tract. 4. Diſput. 4. num. 51. vbi cum alijs plures
duabus dici poſſe concedit, ſicut & Thom. Hur-
tadus Tract. 2. num. 43.

quàm ſe
iure con-
ceſſum.

Fauorabi-
lis eius in-
terpretatio
vt flare
debet.

Habere
rationem
vtilis de-
clarationis
circa ne-
ceſſitatem.

Cap. Suf-
ficir.

Cap. Con-
ſuluit.

Et etiam
priuilegij
proprie di-
ſi.

278 Quid ergo? Eritne priuilegium prædi-
ctum ſuperuacuum? Non vtiq; quia eſt vtilis
declaratio eius, quod iure communi licet, & de
quo eſſe poterat dubitatio. Ius enim comune ca-
ſum neceſſitatis excipit, vt conſtat ex Cap. ſufficit
de Conſecrat. Diſt. 1. vbi Alexander Secun-
dus prohibet plures fieri Miſſas eodem die ab
vno Sacerdote, ſic ſubdens: Quidam tamen pro
defunctis vnã faciunt, & alteram de die, ſi neceſſe
fuerit. Vbi conſuetudinem referens, neque im-
probans, neceſſitatem pro ratione reddit. Et ex
Cap. Conſuluit, de celebrat. Miſſarum, vbi i-
dem ſtatuitur, illa additã limitatione: Niſi cauſa
neceſſitatis ſuadeat. Cum ergo neceſſitas locum
diſpenſationi præbeat, & circa illius gradum ma-
gna eſſe poſſit iudiciorum varietas, vt conſtat ex
varijs ſententijs, quæ apud Auctores occurrunt:
inde eſt vt cum Pontifex caſum deſignat, in quo
liceat, vt non ſit iam opus opinionones Doctorem
in patrociniũ adduci, valde vtilis debeat repu-
tari. Immo & priuilegium merito iudicari poteſt,
quia id concedit omnino ſecurè & indubitanter
fieri, ac ſine contradidione inferioris cuiuſcum-
que Prælati, quod antea non ita licebat. Et quam-
uis plus aliàs videatur licere, quam quod priuile-
gium concedit; id quidem per opiniones tantum
habetur probabiles. Dici præterea poteſt vi pri-
uilegij poſſe duas Miſſas dici, non ſolum in Fe-
ſtis de præcepto, ſed in profefſis etiam; ſi cauſa
rationabilis vrgeat, in quo modus aliquis ne-
ceſſitatis

Licere per
illud duas
Miſſas dici
etiam de-
bitis non
ſeſſibus.

ceſſitatis deprehendatur, vt affirmat P. Martinon
Tomo 4. Diſput. 40. num. 7. & licet P. Suarez To-
mo 3. in 3. p. Diſputat. 80. Sect. 3. circa ſextum
caſum, id abſolute concedat Parochis, ſi ſufficiens
ſit populi multitudo, quia ſatis grauis cauſa eſt,
vt illi non priuentur ſacrificij fructu, & oppor-
tunitate audiendi Miſſam: quod & tenet Tho-
mas Hurtadus Tract. 2. num. 422. id non eſt pe-
nitus exploratum, licet probabile. Et præterea
tantum de Parochis ille loquitur: ſicut & Card.
Lugo in Reſponſis moral. Lib. 1. Dub. 12. & negat
Trullench Lib. 3. de Sacramento Cap. 8. Dub. 10.
num. 4. cum tamen priuilegium ad eos etiam,
qui Parochi non ſunt, poſſit extendi, iuxta di-
cta num. 285. quamuis & non Parochis id con-
cedat Thom. Hurtadus num. 438. vbi & obli-
gationem eſſe poſſe ait. Addendum inſuper in
priuilegio nullam neceſſitatis rationem apponi,
niſi quam multitudo ipſa, & raritas Sacerdotum
addicit, vt patet ex tenore ipſius: Vt bis eadem die
Miſſam celebrare diuerſis in locis valeant. Vnde plus
ratione illius videtur liceret, quam Iura permit-
tant.

Simile pro
Episcopis
Indiarum
haberi

Qualis in
illis poſſit
eſſe neceſſi-
tas.

279 Et huic ſimile Episcopis Indiarum con-
ceditur in ferie illã facultatem, de qua num. 208.
ſic enim ibi: Celebrandi bis in die, ſi neceſſitas vr-
geat; ita tamen vt in prima Miſſa non ſumpſerit ablu-
tionem, per vnã horam ante auroram, & alteram
poſt meridiem. Vbi cum caſus neceſſitatis addatur,
nihil videtur ſpeciale concedi. Si præſertim ſit
pro Viatico dâdo infirmo, pro quo citatus Hur-
tadus n. 431. Nihilominus ita accipiendum, vt
minor neceſſitas ſufficiat, quæ quidem ſecluſo
priuilegio minime ſufficiens putaretur. Non vi-
detur autem qualis neceſſitas poſſit occurrere in
Episcopis ad huiusmodi celebrationem, niſi
quatenus in eadem videtur conceſſione ſupponi,
non eã auctoritate & tranquillitate gaudeant,
quã in Indijs communiter perfruunt: ſed gra-
uem perfectionem ſuſtineant, qualem Iapo-
nienſes Aniliſites, vnde & additur in conceſſio-
ne prædicta: Sine Miniſtro, ſub dio, & ſub terra; in
loco tamen decenti: etiamſi Altare ſit fractum, vel ſine
Reliquijs Sanctorum, & præſentibus hæreticis, ſchiſ-
maticis, inſidelibus, & excommunicatis, & aliter ce-
lebrari non poſſit. Sic ibi: ex quo id, quod dixi-
mus, videtur manifeſtum. Quod autem de ablu-
tione non ſumenda dicitur, notandum pro iis,
quæ circa Parochos dicta ſunt. numer. 291. Id e-
nim quod Episcopis non licet, quomodo Paro-
chis licitum eſſe, poſſit ſibi quiſpiam vltatenus
perſuadere?

Et ceſſante
minimè
licere, vt
certiſſimè
impleten-
dum.

Cap. Te-
referente.

280 Supponit autem præſata facultas, quæ
non omnibus, ſed petentibus à Sede Apoſtolicã,
& cum temporis limitatione conceditur, Episco-
pis non licere bis eadem die Miſſam celebrare;
quod quidè expreſſè deciſum ab Honorio Ter-
tio reſcribenti Episcopo Sipontino, vt habetur
in Cap. Te referente, de celebrat. Miſſarum, ſic
enim ibi: Cum cuiſlibet Sacerdoti, quacumque digni-
tate præfulgeat, vnã in die celebrare Miſſam ſufficiat:
nam & valde eſt felix, qui celebrat dignè vnã: Fra-
ternitati tuæ mandamus quatenus die Cæne Domini
in Eccleſia Sipontina dumtaxat in qua teneris
Chriſma conſecrare, Miſſarum ſtudeas ſolemnia ce-
lebrare. Sic Honorius, verba Alexandri Se-
cundi, quæ circa idem habentur in citato Cap.

Sufficit, de Conſecrat. diſt. 1. ad conſimilem deter-
minationem uſurpans. Quod quidem Theologi
omnes ita intellexerunt, vt non ſit opus circa hoc
ad alia properantibus immorari. Scio tamen non
deſuiſſe aliquem, qui circa hoc pernicioſum
verbo & exemplo conatus ſit introducere noui-
tatem. Sed illius ſententia cum eo pariter mori-
tura, neque apud Catholicos ſentientes vnquam
præualebit. Et circa hoc deſideratum iam diu eſt
à ſuprema Potestate remedium, quod necdum
hucuſque adhibuit validã executione fuiſſe, ne-
ſcio cui poſſit aduerſanti ſpiritu, quod frequens
eſt Indiarum malum, imputari. Eſt quidem pro
eo Eccleſiæ deciſio, Doctorem conſenſus, pra-
xis inuolabilis. Et quid aliud ad veritatem ali-
quam ſtabiliendam deſiderari vltius queat? Si
hoc quidem non ſufficit, nihil profecto erit in to-
to Canonico iure, aut Eccleſiaſticis dogmatibus
inconcuſſum. Sed quid ad hæc dicatur videam-
us.

Contra
quod nu-
perus ab-
ſus apud
Indias e-
morſa.

Non eſt
circa hoc
generale
preceptum
reſponſo
auctoris
illius.

Cap. Suf-
ficir, a-
perè ſuf-
fragari ne-
gatur, &
alia iuris
Canonici.

Gloſſa.

281 Eccleſiæ inquam determinationem
nullam eſſe, quæ in hac parte vrgeat, præſertim
Episcopos. Alexander enim Pontifex præcep-
tum generaliter non ſtatuit, ſed contra eos de-
cernere, qui ex turpibus reſpectibus plures Miſ-
ſas dicere non verentur: vt ex eiſdem apparet
verbis, dum ſubdit: Qui verò pro pecunijs, aut a-
dulationibus ſecularium vnã die præſumunt plures
facere Miſſas non eſtimo euadere damnationem. Li-
cebit ergo eos facere ex purã deuotione, & Dei
gloriam altiffimi ſacrificij oblatione ſpectanti,
cum major ea ſit, quam quæ à Sanctis omnibus,
& Beatiffima etiam Virgine ei poſſit impendi.
Innocentium item in Cap. Conſuluit non plus
obligare, etiam ex illius verbis habetur, eodem
enim modo loquitur, dum ſufficere vnã Miſ-
ſam ait, vnde eodem modo illius eſt accipienda
deciſio. Et ita Gloſſa ſic ait: Nec expreſſè probi-
betur quin plures poſſint celebrari ex eo quod dicit ſuf-
ficir. Quod etiam circa Decretalem Honorij
Tertij dicendum, qui duorum prædictorum
Pontificum verba ſubſumit, vnde quod
ad generalem obligationem pertinet, quatenus
etiam quacumque dignitate præfulgentes com-
prehendit, nihil inſuper ex illius determinatione
reſultat, quam vnã Miſſam cuiuſcumque Sacer-
doti ſufficere, & propter nullum humanum re-
ſpectum plures illi eſſe licitum celebrare. Qua-
tenus verò mandatum eiſdem ſequitur, dum ad-
dit: Fraternitati tuæ mandamus: id non eſt ad ge-
neralem prohibitionem trahendum, ſed ad caſum
illius Textus, vt ſcilicet Miſſa vnica dici in
eo loco debeat, in quo eſt Chriſma conſecien-
dum. Et vt mandatum generale in prædictis ſit
Decretis, ſecum profecto poteſt Episcopus diſ-
penſare; immò & cum alijs, quandoquidem re-
cepta ſententia eſt poſſe illum in Dioceſi ſua
quod Pontifex in vniuerſali Eccleſia: pro quo
Doctores adducit P. Thomas Saneius Libro 1. de
Matrimonio Diſput. 61. num. 3. & circa idem latè
excurrit Dom. Villaroel Parte 1. Pacifica guber-
nationis. Quæſt. 1. Artic. 4. & licet addant id in-
telligi, niſi aliquid ſit Pontifici reſeruatum; in
præſenti nulla eſſe videtur reſeruatio. Quod ſi
Archiepiſcopus Sipontinus, cum diſpenſare ſe-
cum poſſet, Pontificem cenſuit conſulendum,
id certè non neceſſitati eſt, ſed deuotioni eiſ-
dem

Etiamſi
obligens
poſſe Epiſ-
copum diſ-
penſare ſo-
cum, &
cum alijs,
pro ampli-
ma in dio-
ceſi poteſta-
te, ſicut
eſt Pontifi-
cis in Ec-
cleſiis,
& ſic alijs
dem

dem tribuendum. Cum ergo ille se Pontificis dispositioni submisit, merito potuit Pontifex illi mandatum imponere, verbis quidem tale, sed quod reuera consilij tantum rationem esset habiturum. Vel si tale sit, ita tantum obligans, ut illud, quod vniterfos constringit Sacerdotes circa vnus Missæ celebrationem: vt scilicet propter eos respectus non dicantur plures qui à Pontificibus condemnati reperiuntur. Vel si etiam plus vigeat, dispensationi tamen locus est, quam sicut aliis, ita etiam sibi potest Episcopus exhibere.

Doctorem consensum non obtinere ut dicatur & probeatur.

Bernardi Glossa.

Et etiam consuetudinem: qua non valet, cum ex ignorantia procedit.

Quod ad Pontificum Decreta attinet humanos tantum repellentium respectus, consuetudine.

Cap. Consulto.

Myrica ratio vnus Missæ.

est, & totum mundum redemit. Hic enim respectus omnis alius remouetur, nisi quem inducit necessitas, de quo ibidem.

284. Quod autem per verbum Sufficit, obligatio satis fit à Pontificibus declarata, ex eo constat, quia aliàs eorum Decreta superuacua redderentur. Nullum certe in Dei Ecclesiâ momentum ei æquale, quod in Missæ sacrificio continetur: neque circa quidquam aliud par debuit adhiberi cura ab illius Pastoribus, quam vt illud dignè & religiosè tractetur. Pro quo est Concilium Tridentinum Sessio 22. in Decreto de obseruandis & viuandis in celebratione Missæ, cuius illud exordium: *quanta cura adhibenda sit, vt sacrosantum Missæ sacrificium omni religionis cultu ac ueneratione celebretur.* &c. Est autem circa hoc summæ considerationis, an semel, aut pluries possit eodem die à Sacerdotibus singulis celebrari: vnde & negari nequit Ecclesiâ circa hoc aliquid, quod obligatorium grauitè sit, iam olim decreuisse. Si enim grauitè obligatorium non sit, & res singulorum permittatur arbitrio, satis est periculum grauibus circa id inconuenientibus non esse consultum. Vbi ergo Decreta ista vbi prouidentia adeo necessaria extant argumenta? Certe si alicubi in citatis maximè Capitulis: vel si qua sunt alia, ad eadem appellamus: ergo dicendum est in illis, quidquid de verborum stricta significatione sit, obligationem dictam contineri.

Verbo Sufficit, sufficienter declaratum obligationem.

Concilium Tridentinum.

Ex consensu Doctorum vrgetur.

285. Et hoc Doctorum omnium consensus ita firmat, vt ne fas fuerit reluctari. Ad cognoscendum enim quando Decreta Pontificia grauem obligationem importent, illa est receptissima regula, qualiter sint recepta dispicere, & quid Doctores circa illa communi consensu pronuntient. De populari enim existimatione non ita curandum esse, iam vidimus graues affirmare Doctores. Cum enim in Pontificis Decretis varij esse termini soleant, & nullus talis, cui ex se grauis sit obligatio affixa, nisi quado aut mortalis peccati violatio arguitur, aut excommunicatio ipso facto fulminatur: valde debent circumstantiæ non solum verborum, sed & rerum, ac personarum expendi: & cum Doctores vnanimè circa obligationem decernunt, id est pro certo sine tergiversationibus accipiendum. Sin autem, rogo vnde lex ieiunij grauitè obligatoria censetur, sicut & de auditione Missæ, de recitatione Horarum Canonicarum, & similes? Non aliunde equidem; etsi animus repugnandi sit, etiam circa illas inueniri poterunt, quæ circa legem, de qua loquimur, vt obligare non debeat, opponuntur. Et de eâ quidem loquedo, admittimus quod dicitur, esse quidem grauitè obligatoriam, quando ob respectus illos, qui à Pontificibus expressi, pluries Missæ celebrari prohibentur. Et arguo iam grauitè obligatoriam non esse: si enim ita contingeret, maximè ob verba illa Alexandri II. in Cap. Sufficit, iam citato: *qui vero pro pecunijs, aut adulationibus secularium, vna die presumunt plures facere Missas, non estimo euadere damnationem.* Atqui ea non obstat probatio: nam dicere Missam ob pecunias, quando illa vt stipendium accipiuntur, non est grane peccatum; immò neque veniale, si in illo non excedatur, nec sit finis celebrationis præcipuus: & hoc quidem quod

Cap. Sufficit vnde intellectus.

quod ad intentionem spectat, ad forum Ecclesiæ non spectat, dum illa per actum externum non est sufficienter declarata, vt est communissima Doctorum sententia: ergo ex prædicto Capite non obligat præfata decisio. Iam quod ad adulationes attinet, graue peccatum non arguit: nam vana gloria regulariter loquendo graue peccatum non est, sed in quatuor casibus, quos explicat Cardinalis Toletus Lib. 8. Cap. 7. scilicet cum est de peccato mortali, vel ob mortale peccatum appetitur, aut quis propter illam paratus est transgredi præceptum sub mortali obligans, aut ex eâ sequitur notabile damnum proximo: pro quibus congrua adducit exempla. In qua doctrina communiter Auctores conueniunt. Nihil autem tale in casu, de quo loquimur, inuenitur, vt constat; & cum vana gloria non sit signo aliquo externo manifesta, ad forum item Ecclesiæ non spectat, vt de motiuo præfato dicebamus. Quid ad hæc? Illud certe: aliter à Doctoribus decisionem illam accipi, & ita grauitè obligare. Vnde nec dici potest damnationem, de qua ibidem, non esse eam, quæ mortali transgressioni responderet, sed aliqualem: omnis enim poena damnationem importat: quod tamen dici posset, si communis acceptionis, iuxta quam pro æternâ fumitur, ratio neuiquam habeatur.

Vana gloria regulariter venialis, nisi in quatuor casibus.

Prohibitionem sufficienter declaratam.

Ex eo quod presumptio tantum damnatur, euasio præclusa.

Glossam non respicit.

286. Quod si dicatur in præfata decisione non dici eum, qui pluries celebrat, non euadere damnationem, quod tamen dici debuerat, si generalis esset prohibitio: sed tantum iteratam celebrationem ob fines dictos reprobati. Responsio est facilis. Nam cum prohibitio absoluta sit, quando legem dictam violari contingit, aliquis semper finis damnabilis admiscetur, quem ad duo præcipua capita Pontifex reuocauit; avaritiæ scilicet, & gloriæ vane. Vnde nequit se quisquam deuotionis prætextu tueri: nam ibi etiam presumptio est à Pontifice pariter indicata, dum ait, *vna die presumunt &c.* Vitio enim presumptionis non caret, qui contra communem Ecclesiæ sensum agere in re momenti tanti non veretur. Et hoc etiam quod presumptio tantum in Pontificia decisione damnatur, pro fundamento assumi posset, vt ea grauitè non obliget, nec poenis subiaceat, nisi quatenus aliàs contra diuinam legem delinquitur, quod & in Missa vnica contingere posse iam admonuimus. Id enim iuxta communem Doctorum sententiam est, qui id ita dicendum affirmant, cum poena statuitur contra presumptum, quia presumptio dolum importat, vt videri potest apud Nauarrum de Regularibus, Comment. 4. Quæst. 5. vers. Septimo nota. Tom. 5. & alios. Quod & similiter refellendum ex eodem fundamento: quia videlicet sic Doctores accipiunt: cum prædicta doctrina generalis non sit, & presumere etiam dicitur qui contra legem facit, ex iis, quæ assert Marius Antoninus Lib. 2. Variarum Resol. 9. n. 12.

287. Nec considerationis alicuius est, quod ex Glossa adducebatur, quia nullatenus contraria est: si quidem in eodem loco solum casum necessitatis admittit, & illius mens est non prohiberi absolute plures Missas, quandoquidem intruente necessitate duæ dici possunt: vnde post verba adducta statim subdit: *vnde*

potest vniam celebrare de die, & aliam pro defunctis: scilicet iuxta Cap. Sufficit, vbi casus necessitatis adicitur. Et vt demus Glossam in eâ fuisse sententiâ, illius non debet auctoritati hac in parte deferri, quia antiquata est, & communi Doctorum sensu reprobata. Quod & de Bernardo Parmensi Glossatore etiam dici posset, si verè ad verfaretur; cum tamen ita non sit: quia solum admonet Decretalem notanter inspiciendam, vt sic Sacerdotes illi à manifesto reuocentur abusu, qui plures Missas cupiditatis causa celebrant, quia vt diximus. num. præced. quando plures Missas celebrari sine legitima necessitate contingit, cupiditatis respectus interuenit, aut alius similis. Sed certè Bernardus pro Pontificia decisione stat in Cap. Te referente citato, vbi ita scribit: *nota quod Sacerdos duas Missas in die celebrare non debet, nisi ex causa necessaria.* Sic ille.

Bernardus Parmensis.

288. Id etiam quod additur de Episcopali auctoritate ad faciendam opinionem probabilem, tolerabile est, quando sententia contra apertam non militat decisionem, iuxta consensum, quem Doctores alij, ex quibus & complures sunt Episcopi, certum & inuolabilem protestantur. Vnde si Concilio generali Episcopi, & Theologi, ac Canonum sacrorum periti in re aliqua conuenirent, & vnus aliquis Episcopus contradiceret, illius assertio minimè curaretur, quia sententia loquentis contra omnes nequit probabilis reputari. Sunt quidem Episcopi Ecclesiæ Doctores, quia esse ita docti debent vt alios instruere pro dignitate possint, vnde & testimonium litteraturæ habere debent, iuxta id quod Iura præscribunt. Quæ acceptio inferioris notæ est, neque id explere sufficiens, quod præclarus titulus Doctoris Ecclesiæ complectitur: & ita absolute non sunt Ecclesiæ dicendi Doctores, nisi præclarâ aliqua in eo genere prærogatiua decorentur. Vnde cum Ecclesia plures Episcopos memoria festiua concelebrat, eos titulo Doctorum non donat, licet in Ecclesia pro suo munere confiterit docuisse: aliàs honore illo haberentur indigni, vt potè qui suo muneri defuiserunt. Non ergo infusæ ita in doctrina sublimant, vt eo ipso qui prius probabilitatem conferre assertioni non poterant, debeant ad id potentes iudicari. Vnde Caramuel in Theologia moralis num. 1348. post relatum iudicium notissimi Auctoris, qui circa impedimentum matrimonij in casu dubij admonet ad Episcopum recurrendum, vt declarat quod non requiratur dispensatio, ita subdit: *sed nescio an secuta sit illa Episcopi declaratio, raro enim ipsi tam docti, vt præponi debeant Theologia Professoribus.* Sic ille.

Episcopi quomodo Ecclesiæ Doctores vt probabiles facere sententias possint.

Nota.

Caramuel.

Ex consuetudine cuiusdam rodar-guio.

289. Iam quod ad consuetudinem pertinet libenter admittendum, eam scilicet vim non habere, quæ ex ignorantia obligationis procedit, & ex eo redarguenda manifestè responso: nam consuetudo, & receptissima praxis circa obligationem non dicendi plures Missas, non est ignorantium, sed doctissimorum. Omnes eam Sacerdotes agnoscunt, supremarum facultatum Professores, Episcopi, eorum Generales Vicarij, Cardinales, & ipsi etiam Pontifices, qui priuilegia circa hoc cum difficultate concedunt, & vix nisi pro remotissimis partibus. Pro quo est & alia vrgentissima probatio, ex huius scilicet legis trans-